Washington University School of Medicine
Digital Commons@Becker

Lecture Notes | Brown, Gustavus Richard

1767

De variolarum insitione

Ephraim Howard

Follow this and additional works at: https://digitalcommons.wustl.edu/gustavus_brown_lecturenotes

Part of the Medicine and Health Sciences Commons

Recommended Citation
Howard, Ephraim, "De variolarum insitione" (1767). *Lecture Notes*. 3.
https://digitalcommons.wustl.edu/gustavus_brown_lecturenotes/3

This Book is brought to you for free and open access by the Brown, Gustavus Richard at Digital Commons@Becker. It has been accepted for inclusion in Lecture Notes by an authorized administrator of Digital Commons@Becker. For more information, please contact vanam@wustl.edu.

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS,

DE

VARIOLARUM INSITIONE.

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS,

DE

VARIOLARUM INSITIONE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

DAVIDIS RUHNKENII,

HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu, &*
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis rite ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

EPHRAIMUS HOWARD,

MARYLANDO-AMERICANUS.

Ad diem XVIII. *Maji* MDCCLXVII. *H. L. Q. S.*

Ego utar via veteri, sed si propiorem planioremque invenero, hanc muniam.
SENECA *Epist.* XXXIII.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1767.

Bd. with -
XYWZ
260
C967R
1767

1944698

VIRO

NOBILISSIMO

AC

PRÆSTANTISSIMO

CAROLO CARROLL,

ARMIGERO

CIVI URBIS ANNAPOLIS

INTEGERRIMO.

Dissertationem hanc inauguralem, in publicum devinctissimi animi testimonium, sacram facit

EPHRAIMUS HOWARD.

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS

DE

VARIOLARUM INSITIONE.

CAPUT PRIMUM.

Historia originis & progressus insitionis variolarum.

Quisnam fuerit insitionis variolarum auctor? quanam methodo? quo tempore? quo loco? primum adhibita fuerit, Europæ incolis, quin etiam ipsis Asiaticis nationibus, a quibus eam nuper accepimus, incertum omnino esse videtur. Variæ enim opiniones, quæ de prima ejus institutione circumferuntur, infirmo admodum talo nituntur.

Cassem Aga, legatus Tripolitanus, regi Magnæ Britanniæ Georgio I. affirmavit, insitionem istam inter Tripolitanos, Tunitianos atque

atque Algerinos adeo antiquam, adeo vetustam esse, ut ejusdem origo nullius hujusce temporis memoria constaret, & ea non solum illius civitatis incolæ, sed etiam inculti Arabes uterentur; quamquam, si ex nupero cum illa gente commercio judicare liceret, non, nisi aliquot sæcula post morbi varioloſi ortum, inventa fuerit.

Primum inter Europæos insitionis tentamen circa annum 1670 institutum invenimus, licet etiam constiterit, morem variolas, uti loquuntur, emendi & earumdem frictionis, jam inter Wallos circiter 1600 obtinuisse.

Timoni, Constantinopoli degens, in commentario ad societatem regiam anno 1713 transmisso, affirmat, Circassos atque Georgianos in ea urbe quadraginta annos ante insitione uti cœpisse.

In Magna dein Britannia primum methodi variolas inserendi periculum anno 1721 in sex capite damnatis factum est.

Filia nobilis matronae *Mariae Wortley Montague*, uxoris legati, ex aula Britannica Constantinopolin missi, prima fuit libera, quæ anno 1722 variolarum insitionem experta est. Paullo post quinque pueri, alumni parochiæ divi Jacobi Londinensis, hujusmodi tentamen subierunt. Inde in multis liberis ingenuis, & a nobilioris conditionis parentibus natis, summo cum successu adhibita fuit. Nec regia progenies insitione uti dedignata est, incolumisque evasit. Ab illo tempore morem variolas arte excitandi per Britanniam longe lateque invaluisse notum est.

Ex relationibus vero certis, inter se collatis, adparet, insitionem naturius, vel prius, in Nova Anglia sub auspiciis Celeberrimi medici Boylston obtinuisse. Bostoniensium exemplum, ubi primum in hac terrarum orbis parte variolas inseruerunt, dein, quasi agmine facto, reliquæ Americæ urbes & provinciæ secutæ sunt.

Haud mora dein obtinuit magna, qua per plures Europæ regiones Galliam, Sueciam, Germaniam mos variolas inserendi transiit.

Ratio præparandi corpus ad insitionem primis temporibus eo tantum redibat, ut homo per aliquot dies abstineret ab acrioribus, salinis, atque crassioribus alimentis. Hac methodo utebantur Americani eodem successu ac Europæi. Abhinc annos vero octo cives mei aliam methodum adhibuerunt, quæ plurimis experimentis tutior & facilior

facilior patuit, & qua variolæ excitantur tam benigne decurrentes, ut, quum silent venti fugiuntque nubes, morbo detenti in agris, vel hortis obambulare possint. Quam quidem methodum in præsentia latius exponere operæ pretium fore arbitror.

CAPUT SECUNDUM.

Materia variolosa.

Variolarum natura & subjectum a quo materia sumenda sit.

Quod ad materiam inserendam attinet parum referre videtur a quonam ægro sumatur, aut cujusnam fuerit generis. Quum tamen quilibet medicus eam benignioris indolis vellet, præstabit subjecta eligere, quæ variolis distinctis laborant, & ab aliis morbis immunia sunt. Successum vero omnem a constitutione corporis, cui inseritur materia, & a ratione medendi pendere experientia edoctus scio. Vidi multoties virus ex corporibus, variolis malignis correptis, desumtum, cum alio communicatum, morbum mitissimum, benignissimum, induxisse. Deinde pluribus exemplis comperti habemus ægrotos ejusdem familiæ, eodem tempore, ab eadem materia infectos, diversissimis modis adfici, & alios optimis, alios vero maxime malignis variolis decumbere. Ex his itaque patere arbitror, indolem variolarum diversam omnino a statu corporis, & methodo medendi, neutiquam vero a materia ipsa, provenire.

Methodus materiam sumendi.

Fila lanea, aut linea, leviter contorta, & mediocris magnitudinis, trajecta per pustulam trahantur, retrahanturque, donec materia probe imbuta sint, dein suspendantur in loco sicco, a calore foci, vel solis remo-

remoto, & tandem bene ſiccata, in phiala nitida includantur. Si enim humida conſervantur, concepta putredine, deſtruetur materia; ſi exponuntur calori nimio foci, vel ſolis, prorſus conſumetur. Probe hoc ſciunt cuſtodes aegrotorum, qui ſæpe veſtes laneas ſoli, vel foco, ad conſumendam materiam morbidam, exponunt.

Tempus ſumendi materiam.

Tempus optimum ſumendæ materiæ erit, quum puſtulæ plenæ & refertæ obſervantur, & pus adparet flavi, albidi coloris, quod vulgo accidit ab eruptione circa diem ſeptimum, quamquam in facie citius eveniat. Præſtat interim pus ex variolis diſtinctis, quum occaſio ſe offert, eligere.

Duratio vis Materiæ.

Materia varioloſa, ſi bene ſiccata, & in phiala clauſa probe adſervatur, virus ſuum per annos ſervabit. Sæpius novi experimentum tali materia diutius reſervata cum optimo ſucceſſu inſtitutum fuiſſe. ſed notandum eſt, materiam interdum exponendam eſſe aëri, attamen ſicco, ne nimiam humiditatem attrahendo, pereat, phialam claudendam, & portione veſicæ ſuperinducta arctius præſtringendam eſſe.

CAPUT TERTIUM.

Subjectum.

Aetas inſitioni apta.

Quod ad ætatem ſubjecti attinet, convenientiſſimum videtur, ſi poteſt fieri, a ſecundo ad quadrageſimum annum. Qui enim provectioris ſunt ætatis, plerumque uno vel altero morbo chronico adficiuntur, & vires vitæ ſæpe jam nimis debilitas habent. Pueri au-

autem minoris ætatis plus vel minus, morbis ex vermibus, vel dentitione difficili oriundis, obnoxii inveniuntur. Non autem eſt, cur ab his morbis infantulorum nimis timeant medici; nam multis experimentis in America factis conſtitit, puerulos primo anno jam aptos eſſe, & methodo exponenda inſitionem incolumes ſuſtinere. Interim ſine ratione ſufficiente olim crediderunt infantes nulla præparatione egere; nam majores fructus, quos obſervamus ex præparatione prægreſſa, utilitatem & neceſſitatem ejus probant.

Ego ipſe, quum in America primum ad praxin animum adplicui, & ſæpius hujusmodi ægrotis opem tuli, inter ducentos circiter, quos ibi tractavi, multos vidi infantes, qui omnes præparati eisdem medicamentis quibus adulti, & omnes quoque prorſus incolumes evaſerunt. Alios quoque vidi a pueritia ad ſexageſimum annum absque ullis ſymptomatibus periculoſis; immo ſeniores cognovi, qui vix triginta puſtulis, & quidem ex benigniſſimo genere, afficiebantur.

Tempus inſitioni aptiſſimum.

Tempus inſitioni maxime favens, videtur eſſe a menſe Aprili ad menſem Junium uſque, nam ea tempeſtate firmiori, & lætiori fruuntur valetudine, ac aër mitior, ſalubrior cenſetur, quæ conditiones in hoc morbo quam maxime ſpectandæ ſunt. Aeſtas magis inimica variolis habetur, nam calor auget ſenſibilitatem corporis, illud reddit aptiſſimum ad irritationem, ab acrimonia veniente, ſuſcipiendam, faveteque putredini. Hæc autem omnia evidenter vim addunt morbo. Materia enim varioloſa, ſine dubio corpus acre eſt, quod inductum in corpus humanum, contaminat omnes humores, & pollet facultate excitandi inflammationem maximam. Ex hac itaque cauſa ejusmodi aëris & anni temporis ſtatus, qui vim acrimoniæ acuit, ad putrefactionem diſponit, maxime nocet corpori, & auget malignitatem morbi varioloſi.

Autumnus nonnullis huic operi judicatur aptiſſimus, quum tempus ſit mediocriter temperatum; mihi autem videtur inimiciſſimus, præſertim in regionibus calidis, nam non raro accidit eo anni tempeſtate, ut febres putridæ regnent, & plerumque auſter, vel africus ſufflent, atque aër humiditate gravis ſit, quæ omnia, ſi poſt calidam æſta-

tem

tem eveniunt, plus minus disponunt ad putredinem, qua incrementum malignitati variolarum non mediocre adfertur.

Sunt quoque, iique non pauci, qui variolis hyemen inimicam declarant, quoniam homines hoc tempore observentur proniores in catarrhos & tussim, & corpus himis frigore constringatur, perspiratioque impediatur. Licet largiar, frequentes aëris vicissitudines varios morbos creare posse; frigus tamen non solum inimicum est putredini, sed etiam corpus insensilius, & ineptius reddit ad irritationem, hinc maxime congruens sub auspiciis periti medici esse videtur. Constat enim omnia stimulantia & calida mirum in modum augere malignitatem materiæ variolosæ. Quidquid vero contrarium effectum præstat, irritabilitatem nimiam infringit, putredinem cohibet, id prudentia duce, in variolis proderit. Mihi igitur, si opinari fas est, hyems huic negotio, verno tempore tamen excepto, satis amica videtur.

Observatum tamen velim ad epidemias tunc regnantes magis attendendum esse, quam ad anni tempestatem. Hinc operæ pretium erit inquirere, utrum tempestas sit morbifica; si enim salubris est, corpora quoque inveniuntur vegetiora; unde non adeo facile contagione afficiuntur. Si vero prævalet epidemica malignitas, adpropriato regimine prævertanda est.

Etsi circumstantiæ memoratæ naturam & vim variolarum letalem multum augeant, præsertim si nulla præparatio præcedat: experientia tamen docet, ægrotantem posse incolumem quovis anni tempore servari, si modo methodi infra exponendæ ratio habeatur.

Corporis temperies.

Temperamentum in se spectatum ad morbi varioloſi indolem vix facere, & parum referre videtur, quale obtineat, modo æger sit sanus. Omnia autem ab eo pendent, utrum videlicet status corporis plus minus faveat malignitati hujusce morbi, quod tamen nulli temperamento proprium est. Novi enim corpulentos, macros & variis temperamentis subjectos, eodem tempore, eadem materia, omnesque sub eodem regimine, felici cum successu institionem subiisse; aliquando tamen evenit, ut modo hoc temperamentum, modo aliud, modo habitus corporis laxior, modo strictior, plures tulerit pustulas. Mihi autem

tem persuasum est, neque temperamentum, neque res externas ad variolarum naturam proxime facere; sed dispositiones quædam peculiares, quæ vel prosunt, vel nocent, progressui & vi morbi, & quæ locum habere possunt in omni ætate, sexu, & temperamento. Et hæc singularis dispositio videtur maxime propria quibusdam familiis, licet non semper constans sit. Quid multa? certum exploratumque mihi est, usum regiminis, aërem, statum corporis & medicamenta, huic dispositioni contraria, aut faventia, a tempore institionis, usque ad eruptionem, determinare & quantitatem, & qualitatem pustularum. Celeberrimus Huxhamus in tractatu de institione variolarum & ejus effectibus in diversis corporibus, sic scribit: *Upon the whole it is evident the previous state of the body & the disposition of the humours, contribute to determine the quantity & quality of the small pox.*

CAPUT QUARTUM.

Institio.

Methodus inserendi.

In principio methodus hujus praxis sic se habuit. Solebant incisiones facere in pluribus corporis partibus, in brachiis nempe, cruribus, & lateribus fortasse simul; & deinde paululum bombacis, materiæ morbifica imbutæ, vulneribus imponebant. Postea aliam methodum secuti sunt, nempe in brachio & crure tantum institionem instituerunt, & nunc temporis eam in brachio solo perficiunt, media fere ossis humeri sede, idque inter musculos flectentes cubitum & os humeri, qui locus dignoscitur flexione & extensione brachii, tenendo interim manum desuper. Incisio in illo loco fit longitudinalis & sesquidigitalis ad sanguinis profusionem, nec altior, deinde intra labia vulnusculi ponatur filum laneum, materiâ morbidâ laudabili imbu-

butum, & circiter quartam digiti partem longum, & tandem emplastro diachylo simplici imposito, circumvolutaque fascia, totus adparatus firmatur. Non desunt exempla plurimorum, qui infectionem susceperunt tantum imponendo filum nulla incisione facta. Prior autem methodus efficacior videtur.

Quandiu filum retinendum sit.

Filum in vulnere per viginti circiter horas retinendum est, licet sæpe contagium inter sesquihoræ spatium admittatur. Quum tamen nocere nequeat, etiamsi careat effectu; suadendem est filum relinquere per diem integrum, cum neque dolor, neque periculum inde eveniant.

CAPUT QUINTUM.

Ratio præparandi corpus.

In hac tradenda exponam methodum, quam eo tempore, quo mihi licuit esse tam felici, & sub auspiciis Cel. medici JOSUÆ WARFIELD, viri pluribus mihi nominibus venerandi, & optime de me studiisque meis meriti, ægrotos quotidie visitare, in Provincia *Maryland* dicta, adhibebant.

Præparatio absolvitur usu mercurii & antimonii, addito regimine antiphlogistico. Hæc methodus nunc temporis invaluit per totam Americam, & cum optimo successu adhibetur.

Abhinc sex demum annos in *Maryland* introducta fuit, licet paulo citius in *Nova Anglica*, *Pensylvania* &c. obtinuerat.

Quisnam autem primus hac ratione variolis medendi in America usus sit, non adeo certum est: Celeb. Med. TENNET in diss. ait quidem, sibi traditum fuisse, MURISEN primum eam adhibuisse; res tamen penitus incerta videtur, multi enim honorem sibi vindicant.

Occa-

Occasionem dedit 1392. aphorismus celeberrimi BOERHAAVE, in quo antidotum virus varioloſi ex mercurio & antimonio futurum spopondit.

Hunc in finem ad manus esse debent sequens pilularum massa,

℞. Calomel ppt. partes ij.
Sulph. aurat. antim. pars j.

cum G. Arabic., vel mucilagine Tragacanth. f. massa pro Pil. atque pulvis purgans, cujus compositio hæc est:

℞. Scam.
Crem. tart.
Rad. jalap.
Antim. diaph. lot. aa. æq. part.

Modus autem adhibendi hic est. Pridie diei insitionis de massa pilulari, hora somni, adultus (nulla indicatione prohibente) unum scrupulum sumit; puer vero duos annos natus octo grana, & sic pro ætate intermedia doses determinantur reliquæ. Interim ex effectu, quem præstat dosis, judicare dein possumus, an minuenda sit, vel augenda. Secunda & tertia vespera repetantur pilulæ. Altero denique die insequente adulto matutinis horis præbeatur drachma dimidia pulveris, cum sex mercurii dulcis & duobus mercurii præcipitati albi granis. Varianda sæpe est hæc dosis, & aptanda ætati & constitutioni ægrotantis. Commodissime exhiberi potest in melle vel theriaca Barbadensi. Operationem vero ipsam potu diluente ordinario subinde hausto promoveat. Scopus hujusce praxis est, ut ventriculus a cruditatibus, & sordibus, vomitu, & dein purgatione subsecuta, melius liberetur. Illa die, qua deglutivit pulverem purgantem, nihil aliud est sumendum; nocte vero proximâ dentur iterum massa pilularis, ut antea; & altera nocte dosis repetatur; deinde insequente mane porrigatur pulvis purgans, mercurio tamen præcipitato albo omisso, & vesperi iterum quindecim grana massæ pilularis præbeantur adulto, quæ tamen dosis iterum pro ætate diminui, vel augeri potest. Postea tandem quaque vespera & mane duodecim grana sumat, donec febris se monstret, nisi superveniant oris inflammatio, vel aliqua ptyalismi indicia, quo in casu pilulæ omittantur penitus, vel tantum minuantur, prout gradus ptyalismi id postulat, & semidrachmam florum sulpheris ter de die capiat, nisi symptomata disparuerint.

Pro infantulis, primum annum agentibus, vel tenerioribus adhuc, mulieribus sensilioris habitus, & omnibus, qui morbis nervosis laborant, præstat loco pulveris purgantis, uti rhabarbaro & sennâ cum calomelate, & in primo remedio purgante additur quoque paululum pulveris ipecacuanhæ, ventriculi purgandi causâ. Infantulis junioribus præstantius erit pilularum loco, modicam dosin calomelatis cum magnesia alba quotidie in lacte muliebri exhibere. Si vero adhuc ubera trahunt, sufficiet purgare nutricem eodem modo, quo adultos. Allaborandum ut infans copiose sugat, nisi videatur nimis purgari, tunc enim abstinendum. Nutrix caveat ab omnibus calidis & stimulantibus, utaturque victu leniter laxante.

Quod ad mulieres prægnantes spectat, si periculum infectionis ab extra appareat, mallentque insitioni se subjicere; quibusdam exemplis in Amercia patuit, hanc methodum sine noxa in illis adhiberi posse. Ego ipse memini gravidam vidisse; quæ adeo leviter afficiebatur variolis, ut ne quidem domo exire ei interdiceret medicus, neque illa fœtum amitteret: notandum tamen erit, pilulas hoc casu parcius, sed frequentius, esse propinandas, mitissimumque purgans adhibendum.

CAPUT SEXTUM.

Regimen.

Victus sit hoc tempore ex vegetabilibus, & carnibus albis, pullis scilicet gallinaceis, vel indicis, juribusque ex his paratis. Si vero pinguiores videantur, pelle priventur, & juri dematur oleum. Expertus enim sum eos gravius laborare morbo, qui pellem cum pinguedine, aut jus pinguius adsumserant.

Vegetabilia quibus uti licet, debent esse refrigerantia. Religiose quoque ab omne acri & stimulante abstinendum est, omnisque victus gratior

tior reddatur adspersa modica salis portione; maxime tamen aromatica fugienda sunt.

Fructus horæi cocti, pyra, cerasa, grossulariæ rubræ, uvæ, adsumantur, sed vitetur butyrum & pinguedo. Panis, quo vescuntur, non debet esse recens, sed saltem quadraginta horas ex furno extractus; nam qui nimis recens, difficilioris est concoctionis, si enim in aquam injicias, manebit integer; vetus autem perfacile solvitur. Lac quoque benignum præbet nutrimentum, modo adservatum fuerit, donec flos secesserit, & demi possit, id quod fieri debet. Ova satis apta sunt, modo caveatur, ne coquantur ad duritiem. Oryza, coffea, thea, itemque præparata ex lacte, ovis & farina concedi possunt. Panis theriaca Barbadensi illinitus pueris gratissimus est, iisque maxime convenit.

Bibant cerevisiam ex theriaca Barbadensi confectam sine lupulo, aquam fontanam, lacte, vel aceto, vel quovis alio acido commistam; cui etiam paululum sachari, si lubet, addatur.

Curiose quoque iis abstinendum est ab omni victu stimulante, ab omni carne bubula, vel suilla; præcipue ab omni pingui, oleoso, & liquore spirituoso.

Aër quoque in cubiculo ægrotantis frequente ventilatione renovandus est. Ambulent sub dio in agris, vel hortis, si tempestas non sit humida, vel pluviosa. In æstate, cum calor urget, aperiantur interdiu fenestræ, ut renovetur aër; ægrotis quoque facultas exeundi concedatur. Hyeme etiam expedit cubicula interdum ventilare, absente ægroto, dummodo tempestas sit sicca, & mediocriter calida; caveat tamen quam maxime, ne madefiant pedes in ambulatione, qua sæpius in die opus erit, ægri reficiendi causâ. Abstinendum quoque a nimia exercitatione, ne sanguis rarefiat, calor enim major æque nocebit, ac victus acris & stimulans: e contra ambulatio, & motus moderatus in agris, & aëre liberiori, maxime prodest.

Vesperi maturius cubitum eat, & mane surgat in tempore æger. Stragulis modice tegatur ne nimio calore inter dormiendum exæstuet, neque ultra octo, vel novem horas somnum protrahat.

Frequentius oculos aqua frigidâ lavare maximæ utilitati est, & impedit, ne pustulæ illos invadant, aut succedat ophthalmia, quod a-

lia-

lias ſæpiſſime fit: frigida enim conſtringit partes, & conſtringendo impedit, quo minus virus in eos deponi poſſit. Lætus ſæpiſſime utilitatem hujus methodi noxas ab oculis arcendi, expertus ſum.

Neutiquam interdiu foco largiori propius adſideant, aut in lecto decumbant ſe calefaciendi cauſa, quod ſere amant: ſi vero opus fuerit calore, potius obambulent in cubiculo, donec ſatis calefiant, quod brevi fieri poteſt.

Sæpiſſime obſervavi, quod adulti, quum frigoris diſſolvendi cauſſa, ad focum propius accederent, & capite propendente adſiderent, plures puſtulas acceperint in facie, quam in reliquo corpore, & quod parvuli, qui gaudebant manum in ſinu nutricis continuo abſconditam tenere, in illa ipſa manu plures habuerint puſtulas, quam in univerſo corpore.

CAPUT SEPTIMUM.

Infectionis ſymptomata.

Plerumque accidit, ut quarto, vel quinto die ab inſitione, aliquanto inflammata appareant vulneris labia, & ſæpius paululum materiæ marginem verſus ſub epidermide in conſpectum veniat, & glandulæ axillares tumidæ fiant; licet hoc non ſemper accidat, & rarius inflammatio circa vulnus, ante febrem obſervetur, ſi enim in brachio fit, fere rigiditas ſequitur in axilla. Novi tamen plurimos, quibus neutrum acciderit ante febris ingreſſum. Si enim aliqua diſpoſitio ad inflammationem accedit, vel rigiditas, vel brachii, aut glandularum tumor ſuperveniant, certum eſt, eos infectionem recepiſſe.

Febris ſigna.

Ægrotans tantum non ſemper circa ſextum, ſeptimum, octavum, vel nonum diem horrore concutitur, & aliis febris prægredientis eruptio-

tionem indiciis. Deinde febris ipſa, quæ mane remittit, veſperi vero exaſperatur, inſequitur. Tandem variolæ a decimo ad duodecimum diem prorumpere incipiunt. Eruptio quoque ſemper, plus minus, comitatur ſudore.

XOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOXOX

CAPUT OCTAVUM.

Ratio medendi.

Durante febre plerumque nihil agendum eſt medico; licebit quoque ægrotanti in domo, vel in aëre liberiori obambulare, niſi pluvia, vel frigus nimium id impediant: interea cavendum eſt, ne nimio frigori ſe exponat ægrotans, nec continuo ſedeat ad focum, vel maturius cubitum eat. Si vero adeo ægritudine afficiatur, ut non poſſit ſe ſuſtinere, ſupra lectum decumbat, veſtibus non detractis. Plurimos nempe novi, qui dicebant, ſe non poſſe diutius ſuſtinere, nihilominus perſuadendo effeci, ut ambularent ſub dio, & paulatim nihil amplius moleſtiæ, aut doloris, perceperunt.

Aliquando afficiuntur horrore, tremore, languore, anxietate & debiliori pulſu, & ſic per plurimos dies ſe habent. Simul ut hæc videbam, judicavi in hoc ſtatu adhibenda eſſe cardiaca, animadvertens tamen juniores, fortiores, & qui nimis indulgent requiei, maxime his incommodis laborare; eos vero qui hoc tempore exercitatione utebantur, penitus iisdem carere: perſuaſum habui hæc omnia provenire a ſpasmis ſuperficialibus, & nimis tarda circulatione, ideoque opus eſſe regimine antiſpasmodico, quo etiam uſus ſum maximo cum ſucceſſu, nempe pediluvio ante cubitum adhibito, & adſumto antim. diaph. non lot. ſcrupulo uno, cum laud. liquidi gt. xv., quæ etiam repetenda ſunt urgente cauſa. Si æger non ſit adultus, minori quantitati propinentur.

Non raro autem debilitas aliunde oritur, & vis vitæ eget ſtimulo

 tem-

temporario. In numero eorum, quibus opem medicam tuli, duo fuerunt, quibus maxime opus erat tali regimine, alter erat vir fere sexagenarius; altera vero virgo nobilis, debilioris constitutionis. Ambo circa tempus eruptionis videbantur animo delinqui, magnaque debilitate, & anxietate afficiebantur. Ille capiendo hausfulum unum, vel alterum seri lactis, cum vino confecti, protinus reficiebatur, & pustulæ ad numerum triginta ortæ sunt. Hæc vero parum contrajerv. & castor, eodem vehiculo cepit, & mox refecta est, & circiter centum variolæ erumpere cœperunt. Hujus generis autem medicamentis minime egent convalescentes, his enim novo, & salubri aëre potius opus erit.

Febri nimis violenta, plethoraque majori, vel nimio sanguinis impetu, existentibus, necesse erit V. S. instituere, & copiosum potum diluentem spiritu vitrioli acidulum, exhibere. Hyeme tamen cubiculum paululum calefiat; sumat etiam quaque secunda vel tertia hora antim. diaph. non lot. scrupulum unum, quod non raro levat febrem, & eruptionem producit laudabilem. Hujus expertus sum utilitatem in spontaneâ infectione in eis, qui plurimos habebant pustulas; spiritus enim vitrioli & antimon. diaphor. non lot. vel vinum antimonii, & novi aëris exterioris, non tamen nimis frigidi, accessus, minuendo magnum numerum, & ægrotum refocillando, a maxima illa anxietate, quæ sæpissime comitatur istum morbum, liberavit, & convertit pustulas in benignissimas.

Circa tempus eruptionis pluribus ægrotantium expedit pedes in aquam tepidam immergere, antequam cubitum eunt. Præcipuè tamen attendendum est, ut interea corpus erectum teneant, nam sæpe accidit, ut proni sedeant; quo fit, quod sæpius vidi, ut multæ pustulæ vapore emollitam faciem & irritatam obruant; id quod quoque velim, ut in omni pediluvio observetur, quo sanguis & humores facilius detrahantur a capite.

A tempore novissimæ purgationis curandum est, ut alvus sit soluta, & saltem semel in die exoneretur, præcipuè a febris initio ad pustularum exsiccationem. Huic fini maxime conducet parum crem. tartari, vel alius antiphlogistici purgantis, quaque sesqui hora, donec alvus respondeat, exhibere. Multi opinantur solutam alvum,

alvum nocere progressui suppurationis, & inimicam esse ptyalismo frequenti, in hoc morbi stadio perutili. Mihi vero minime persuadere possum, expulsionem putridæ & noxiæ fæcis posse damno esse. Constat enim fæces, ni expellantur, posse sanguinis corruptionem inducere, & effluviis continuo ex intestinis crassis resorptis, acrioribus, putridis, febrim ejusque syptomata multum intendere. Ipsa enim corpora valida, vegeta, si alvus astringatur per plures dies, multo debiliora evadunt, cibi appetitum amittunt, & febre sæpe corripiuntur; quod si igitur corpus sanum, cujus excrementa non adeo ad putredinem tendunt, ita adficitur retentione excrementorum, ecquis dubitet de eorum effectibus nocivis in statu morbido? Immo mihi videtur quotidianam alvi dejectionem, effectam talibus laxantibus, omnino non nocere ptyalismo, neque maturationi pustularum: contra vero maxime favere utrique, extrudendo nempe omnia noxia.

Clysmata non tam prosunt, quam purgantia refrigerantia, ni fæces sint duriores; quia non transeunt valvulam coli, nisi excedant modum usitatum, & *invertatur motus peristalticus*, *solummodo* enim exonerant rectum & colon. Præterea sal eadem ratione prodest, quo antiseptica, corrigitque colluviem putridam, qua primæ viæ sæpissimè abundant.

Si vomitus superveniat initio febris, opus erit emeticis, quibus addenda sunt copiosa *diluentia*, *acidulata*, *repetitis*, *sed modicis* haustibus, ingesta, & etiam pediluvia; si autem vexet tempore eruptionis, antim. diaph. non lot. scrup. unus, cum laud. liq. gt. XV. pro dosi, sistit vomitionem, & eruptionem promovet.

Si vero infantibus accederint convulsiones, quod meæ observationi nunquam se obtulit, medendo prædicta methodo præparatis, adhibenda erunt epispastica inter scapulas admota, & præbendæ aliquot guttæ vini antimonii cum laud. liquid. & enema iniiciendum, quæ mihi videntur efficaciora sale vol. alcalico, ac quovis medicamento cardiaco, adeo a plurimis laudatis. Sin autem adsit inertia & tarditas in negotio expellendi virus variolosum, convulsiones proderunt. Mihi autem videntur ejusmodi convulsiones in infantibus potius ab acri materia variolosa, stimulante systema nervorum quip-

quippe quod in his maximæ ſenſibile eſt, quam a debilitate, provenire.

Si vero brachium inflammetur, & majore dolore crucietur, vel eſchara naſceretur, quæ hæc incomoda augeret, neceſſe erit adhibere cataplaſma ex lacte & pane confectum. Ni vero urgeat neceſſitas, minime hoc ſuadendum, nec aliquid adhibendum erit, antequam materies adhæreat linteis, quo in caſu empl. diachyl. profuturum reor. Expertus enim ſum omnia remedia reſolventia, quæ ſenſibilitatem & inflammationem augent, magis puſtulas & tumorem ad partem invitare. Hinc certum eſt, uſum emollientis cataplaſmatis, augere ulcus, præſertim ſi in initio admovetur. Solebant quidem in *Maryland* adhibere cataplaſma a tempore inflammationis, qui primum inſitionem tentavere; ſed brachium plerumque doluit. Videntes autem ſubjecta meliotis conſtitutionis adeo excruciari brachiis ab horum applicatione; ſervos vero atque æthiopes, qui tanta cura non tractabantur minime aliquid in brachiis pati, cataplaſmata omiſerunt. Hinc liquet, omne malum ortum ducere a cataplaſmatibus. Uſu ergo didici præſtantius eſſe nihil adhibere, niſi urgente neceſſitate, quam empl. diachyl. ſimpl. Si vero inflammatio major adfuit, cataplaſmata tunc profuerunt; ſemper tamen expertus ſum, ulcera fuiſſe majora. Credo itaque hirudines & ſcarificationem in hac rerum facie multum prodeſſe poſſe. Variolis ſiccatis, ulcus plerumque conſolidari incipit, & tunc nulla alia remedia applicanda ſunt, quam quæ aliis ulceribus conducunt.

Glandulæ axillares ſæpe intumeſcunt & dolent ante febrem, licet febre invadente fere ſemper diſſipetur tumor; ſin aliter evenerit, frictio bis in die cum ung. mercuriali inſtituta, ut ſæpiſſime vidi, egregie reſpondebit.

Perutile videtur adminiſtrare anodina videlicet. laud. liq. creſcentibus puſtulis, ſi dolor acrius urget.

Puſtularum exſiccatione peracta opus erit ſemel atque iterum purgante mercuriali alvum exonerare.

Convaleſcentibus hoc modo curatis, nihil amplius, quantum ego quidem ſcio, opus erit. Quum vero aliquid triſte inter curandum, acciderit, eadem methodus obſervanda eſt, quæ in infectione ſponteneâ.

CAPUT NONUM.

Utilitas mercurii & antimonii cum regimine antiphlogiſtico.

Virus varioloſum eſt materia ſui generis, & introducta in corpus humanum vel arte, vel ſponte, contaminat, ut omnis alia contagio, totum corpus. Licet ignorem ſpecialem modum agendi, & cur ſemper maneat in corpore quaſi abſcondita aliquandiu antequam morbum inducat; attamen judicando ex effectibus ſemper inſequentibus, iſtiu morbum inflammatorium, cujus terminus eſt ſuppuratio. Malignitas hujus mali omnimodo pendet a ſtatu corporis, qui prævalet, & methodo regiminis a tempore infectionis ad eruptionem uſque, quatenus vel favent, vel nocent ejus progreſſui.

Variolæ itaque, ſi conſiderantur tanquam phlegmone, etſi qualitas & quantitas puſtularum pendet a ſtatu corporis, & regimine illico a ſuſcepto contagio obſervato; patet tale regimen, & talia medicamenta, quibus cum bono fructu *in aliis morbis phlegmonicis utimur*, in hoc maxime prodeſſe debere; reductionemque ad ſtatum minus inflammabilem a quacunque cauſa, tutiſſimam eſſe methodum tractandi ægrotum: e contrario quodcunque calorem, & inflammationem auget, maxime nocere & peſſimum exitum habere poſſe.

Ex his meditationibus ſatis liquet, antimonium & mercurium, cum regimine antiphlogiſtico, quibus utimur a tempore inſitionis ad naſcentem febrem usque, ſine dubio multum impedire incrementum, & plerumque fere extinguere inflammationem.

Celeberrimus BOERHAAVE in Aphoriſmo 1379. verſus finem credidit „variolas ad eandem ſimplicitatem, ut præcedentes mor„bos, reduci poſſe, & aliquid in ordine medendi deſiderari hacte„nus.”

In aphorismo 1386. „ ait: videtur morbus in hoc ſtatu eſſe ve-
„ locitas liquidorum aucta a ſtimulo inflammatorio omni ſanguini admiſto."

In 1384. „ Stimulus videtur auferri poſſe correctione per ſpeciſi-
„ ca ita dicta, vel methodo univerſali antiphlogiſtica."

In 1392. „ In ſtibio, & mercurio, ad magnam penetrabilitatem
„ arte deductis, nec tamen ſalina acrimonia nimium corroſivis, ſed
„ bene unitis, ut quæramus, incitat aliquis horum aliquando ſuc-
„ ceſſus."

Doctiſſimus SYDENHAM in Epiſtola ad COLE medio ſeptimæ lineæ, p. 357. „ Profuſiſſima autem, inquit, illa crebrarum puſtularum
„ eruptio, ſi quid ego conjicere poſſum, a præcipitata nimis materiæ
„ varioloſæ adſimilatione ortum ducit; quæ quidem præcipitatio maxi-
„ me videtur contingere, vel quod ægri natura medicamenti ad inſtar
„ cardiaci, calore & ſpiritu plus ſatis turgeat, vel quod ipſe æger, ſive
„ præmature ſe lectulo includendo, ſive adhibitis cardacis calidioribus,
„ aut liquore quovis ſpirituoſo fermentum plus debito exaltaverit." & p. 358. „ In primis itaque ejus eſſentia, (quantum nos rerum eſſentias
„ conjectura adſequi valemus) in peculiari quadem ſanguinis in-
„ flammatione comprehendi videtur." & p. 359. „ Si vera eſt hæc,
„ & juſta hujus morbi hiſtoria, cæcus ſit oportet, qui non videat,
„ omnem ejusdem in utramque partem eventum a curationis funda-
„ mento, recte aut ſecus primis in diebus jacto, pendere."

Uſus mercurii prorſus damnatur a multis, ab aliis vero caute adhibitus laudatur. Cel. DE HAEN videtur eum omnino rejicere, ut p. 96. Tom. prim. Rationis medendi videre eſt; affertque exemplum hominis, qui utebatur mercurio per tres menſes, & correptus variolis mortuus eſt. Si vero attendiſſet ad ſtatum ægroti, ſine dubio non damnaſſet mercurii uſum hoc in caſu, cum ipſe narrat, ægrotantem ulcere phagedænico a duobus annis laboraſſe. „ Sed temperies flaccida,
„ acrimonia ſcorbutica, acida, omnis fœtoris abſentia, hanc aphtho-
„ rum ſpeciem ægrius admittunt, attamen acido-mucoſa infantum
„ temperies, peſſimas ac diuturnas, in capite facie & alibi exulcera-
„ tiones progignit; an hinc igitur in hac puella phagedænicum ulcus
„ fuit, quod materies partes molliores mucoſioresque aggreſſa ſit?"

Quo

Quo evidenter apparet adfuiſſe ſtatum corporis minime laudabilem, unde malignitas variolarum ſine dubio orta eſt.

Si analogia ſpectetur, mercurii & antimonii utilitas procul dubio patebit; nam conſtat multa experientia mercurium, & antimonium, furunculis, & fere omnibus ulceribus pertinacibus efficaciter mederi. In omni vero ſtatu corporis inflammatorio ulcera naſcuntur a quovis vulnere, ſic etiam in rheumatismo chronico.

Obſervatur quoque, ejusmodi ſubjecta, infectione ſpontanea capta, plerumque mori. Celeberrimus SYDENHAM p. 361. affirmat vidiſſe ſe peſſimum genus variolarum in ſubjecto rheumatico, quod undecimo die obiit. Si variolarum indolem in quibusdam hominibus, & ſtatum in quo ſubjecta relinquuntur, inflammatione ſemota, conſideramus, videtur plurimis rationibus magna obtinere affinitas cum ſtatu corporis, cujus antea mentionem fecimus.

Notum enim eſt, prædictas circumſtantias multum favere multiplicationi materiæ varioloſæ. Status etiam corporis, ortus a variolis materia expulſa, videtur maximam affinitatem habere cum præcedente, & mercurium, & antimonium cum antiphlogiſtico regimine inveniri remedium efficax. Hinc quoque apparet, ea medicamenta & regimen, quæ inveniuntur maxime mederi huic diſpoſitioni, minus malignitati favere, & adimere corporis ſtatum inde oriundum, debere quoque omnino infringere vim virus, ne contaminetur corpus, & ſemper illius actionem moderari, ut ſic puſtulæ laudabiles & pauciores numero, oriantur.

Qui approbant uſum antimonii & mercurii in adultis in quibusdam caſibus, nolunt tamen illo uti in infantibus, & ſubjectis laxâ fibra, vel debiliori ſyſtemate nerveo laborantibus, & in hoc caſu rejiciunt quoque regimen antiphlogiſticum, laudantque victum reficientem. Si verum eſt mercurium & antimonium vim habere gignendi laudabiles & mites puſtulas, in corpore fortis & tenſæ fibræ, neceſſe eſt eundum effectum conſequi, in infantulis & ſubjectis ſenſilioribus, nam minime pendet a robore, vel rigiditate fibrarum, quod in his vis varioloſa augetur; ſi enim ſic ſe res haberet, neceſſum eſſet, ut omnes fibra forti laborantes, & præcipue ſervi æthiopes, qui plerumque ſunt robuſtiori corpore, ſemper plurimas puſtulas experiri debeant:

Ex-

Experientia tamen constat servos nigros fere minus pati a variolis, licet fungantur improbo labore, & sint fortiori corpore. Mihi quoque denique persuasum est, subjecta otio dedita, & tenerioris habitus, magis prona ad malignitatem, quam fortiora. Nam sæpe accidit, ut ejusmodi homines male habiti in parte quadam corporis, quæ vulnere levissimo afficitur, supervenientibus inflammatione & ulceribus obstinatis, cogantur alterantibus mercurialibus, & antiphlogisticis, ut sanentur, uti: quum e contrario in hominibus rigida fibra laborantibus, pars læsa laudabilem suppurationem sistat, & brevi sanetur: unde patet homines ejusdem habitus plerumque inveniri aptiores morbo varioloso iis, qui validiores sunt.

Obiciunt quoque usui ejusmodi regiminis, corpus ineptius reddi ad expellendam materiam morbosam ad extrema. Sed quum & experientia & ratio doceant, hanc methodum vi pollere impediendi generationem copiosæ materiei, non minus certum erit, febrem minui pro paucitate materiei morbosæ, & sic naturam facilius sufficere ad minorem copiam, quam ad majorem expellendam. Videtur quoque pro numero pustularum expellendarum naturam plus minus vigere; vis enim & duratio febris pendent a quantitate materiei morbosæ ejiciendæ, & quo diutius hæc manet, eo violentior, erit febris, eoque magis corpus debilitatur: denique febris quae sex horas durat, corpus magis debilitat, quam tota præparatio. Sæpe enim a duratione ejusmodi febris æger ita debilitatur, ut vix pedibus insistere possit. Exposita vero præparatio nunquam prosternit adpetitum, nec impedit domo exire.

Regimen supra præscriptum minime censeri debet ad debilitatem tendere, mihi quippe videtur unicum regimen subjecto debiliori conveniens, quum ventriculus non valet coquere alimenta. Ova haud dubio tantum nutrimenti corpori præbent, quantum quodcunque aliud corpus, & tamen minime stimulant, quâ ratione aptissima mihi videntur. Omnis quoque reliquus victus supra expositus facilis digestionis, antisepticus, nec stimulans, existit. Cortex Peruvianus huic methodo junctus, plerumque optimum effectum præstat, quum sit corroborans, antisepticus, & nequaquam stimulat. Mihi vero nullum dubium est, quin omne alimentum, vel medicamentum irritans adhibitum, reficiendi causa, perniciosissimum, vel sæpe mortiferum sit.

Quantum mihi observatione constitit purgando diversa corpora, quomodo præparatio hæc nonnullis noceat, ego determinare non audeo. Sæpius vidi ægrotos, quibus erat magna nervorum sensibilitas, quibusque medicamenta fastidio erant, ex remediis supra laudatis nullum incommodum percepisse: cum e contrario, qui vulgo credebantur fortioris constitutionis, aliquando plus passi sunt inter operandum, id quod alias non raro fit in purgationibus & vomitu.

Hoc accidit virgini cuidam nobili, cui ipse in institione opem ferebam, & quæ mihi solito vivacior visa est præparationis tempore. Multis annis laboraverat doloribus rheumaticis, & ulceratis cruribus, non adeo facilibus sanatu, quæ tandem alterantibus mercurialibus & decoctione lignorum tractanda erant, ut sanari possent. Medelam adhibui, qualem supra proposui, nec medicamenta ei fuere ullo incommodo, neque febris ademit cibi capiendi appetitum, nec coacta erat lecto se tradere, pustulamque tantum unicam habuit; ab illo tempore valetudine lætiori, quam plurimis annis ante fruebatur; fuitque vivacis indolis, corpore licet graciliori existente. Aliam curabam virginem, quæ passione histerica, fluore albo, & melancholia laborabat, quam eidem regimini submisi. Quotidie exivit domo, nec plures quam quinque, vel sex pustulas, accepit, & præparationem absque ullo incommodo sustinuit; morbo superato vegetior, & vultu floridior, quam ante, erat.

Una ex meis sororibus, obstructione jecoris per plurimos annos conflictabatur, & maxime debilitata, multumque passa a malo hysterico, institionem tamen subiit: usa est eadem methodo, nec tulit plus incommodi a medicamentis, quam robustissimum subjectum, nec in publicum prodire præpediebatur, & vix triginta pustulas numeravit. Loco febris, qua alii corripiebantur, illa hysterica passione tentata fuit, quæ minime pendere a variolis videbatur, nam cito disparuit, & postridie febris levissima secuta est, videbaturque se bene habere. Postea quoque meliori sanitate fruebatur, & obstructio jecoris minus incommoda fuit, immo spatio sex mensium, ad pristinum habitum laetiorem rediit.

Methodi expositæ utilitas in infantibus.

Pueris quoque junioribus hæc ratio medendi eodem successu adhibita fuit. Non enim est, cur credamus infantes tali methodo debilitari, nam pueri, ut experientia docet, operationes ejusmodi medicamentorum facilius ferunt, quam adulti; patet hoc, si consideramus longas & continuas diarrhœas, quibus infantes subjiciuntur, & quæ minus debilitant laxiores & corpulentiores, quibus tamen robustissimi adulti brevi tempore emaciantur. Mihi videtur quoque mercurius antidotus infantulis contra convulsiones frequentes, quasque medici adeo timent tempore insitionis. Nam in istis eruptionibus, quibus infantuli adficiuntur, & quæ adeo profunt valetudini, si cadant in partem corporis, ubi necessarium est adplicare exsiccantia, v. g. in oculos, modica dosis mercurii adhibiti pro alterante, mitiorque ventris purgatio cum rheo, &c. obstant malis a repercussione oriundis, ut sæpissime expertus sum.

Multa enim experientiâ didici infantulis convulsionibus, vermibus, dentitione difficili, laborantibus purgationes cum rheo & calomelate maxime prodesse.

Infans sex mensium, dentitione difficili laborans, corripiebatur paroxysmis convulsivis & colica, oriunda ex constipatione alvi. Emisit dein multos flatus, viridia, spumosa, & tam acria dejecit excrement, ut excoriarent partes vicinas. Præscribebantur magnesia alba margaritæ, & alia testacea cum rheo, & inter scapulas admovebantur epispastica ex cantharidibus; ore vero adsumebantur Sp. C. C. tinct. castor. laud. liq. sal. tartari, crem. tartari, gingivæque lanceola ad dentes usque incidebantur. Quæ omnia successive pro ratione effectus adhibebantur, & si nil boni præstabant, tantum pro brevi tempore. Deinde calomelas præbebatur cum rheo & magnesia ea quantitate, ut sufficeret ad alvum leniter laxandam absque ptyalismo. Præterea eodem tempore usus laudani liquidi a frequentibus torminibus indicabatur. Vix duas vel tres portiones hujus pulveris sumserat, quum probe refectus fuit, fæcibus viridis coloris, & acrioribus, excussis. Die quarto omnia symptomata evanuerunt, excrementa ad naturalem colorem & consi-

sistentiam redierunt. Dosis pulveris repetebatur, donec prorsus sanatus erat. Quotiescunque autem symptomata iterum adparebant, toties usu rhei & calomelatis iterum sublata fuerunt.

Puerulis laborantibus adfectibus cutaneis, & eruptionibus variis, naturali infectione suscepta, quam plurimæ & pessimæ variolæ plerumque supervenjunt. Mercurium autem & antimonium his maxime conducere, dum dispositionem, quæ malignitati morbi favet, ac quæ in omni fere infante plus minus inventur, destruit, liquet.

Usus hujus praxis in statu soluti sanguinis.

Sanguine a putrida acrimonia soluto, in tali enim casu prudens medicus nollet illico insitionem suadere, si forte quis periculum incurreret contagium sua sponte suscipiendi, præstantius erit insitionem tentare. Fateor quidem theoriam usum mercurii omnino respuere, experientia vero repetita in *America* innotuit, cum corpus præparandi causa, cum laudabili effectu adhiberi posse. Non ibo inficias mercurium in corpus ingestum, sanguinem quodammodo dissolvere, sed nescio an hæc dissolutio putridam acrimoniam augeat, quia nulla phænomena putredinem indicantia post ejus usum adparuerunt. In hoc casu corticem Peruvianum semper adhibere, cum præparatione quam supra exposui, præstabit, ægrotusque utatur copiosis acidis; si autem dissolutione ista putrida, multum debilitatus sit, in usum vocari possunt mercurius, antimonium autem minori quantitate, sed sæpius repetita. Sumat quoque mitius purgans, minime stimulans. Celeberrimus Pringle plerumque ægrotos suos purgare solebat rheo & calomelate ad decessum febris usque malignæ, sicque ex voto omnia succedebant, & expellendo colluviem putridam, præpedibat regressum febris; hinc patet mercurium minime favere incremento putredinis.

Anno 1765. violenter sæviebant in *Maryland* variolæ, febrisque biliosa epidemica, & dimidia pars eorum, qui sponte & absque præparatione variolis corripiebantur, mortua est; ii vero, qui insitionem subierunt, & secuti sunt hanc methodum, benignissimo genere affecti sunt, & prout videre, vel intelligere potui ex iis, qui operationi præfuerunt, citra spem successit. Maxime consultum erit uti acidis

& regimine antiphlogiſtico, ne corpus nimis caleat. Eruditus & probus juvenis olim Philadelphiæ, nunc Edinæ ad ſtudia medica incumbens, mecum communicavit ſequentem obſervationem.* „ Nullus „ eſt ſtatus ſanguinis e temperie ſpeciali aëris pendens, cui inſitio „ non conveniat. Anno 1762. febris flava Philadelphiæ ſæviit „ tanta vi, ut quindecim, vel viginti quotidie eriperet; ibi quoque „ variolæ eodem tempore prævaluere inſolitâ malignitate, adeo, ut „ vix tres ex decem incolumes evaſerint. Aër videbatur particulis „ noxiis repletus, quæ haud dubio vim addidere morbo; medici no„ lebant aliquandiu in quemquam inſitionem tentare, præ metu vio„ landi exiſtimationem operis, donec perticiſſimus RIDMAN hu„ jus civitatis decus, inductus eſt experimentum facere in duo„ bus juvenibus ex India Occidentali, quotidiano metu multum paſſis, „ quâ de cauſa rati ſunt, tutius eſſe, inſitionem ſubire; ambo validâ „ conſtitutione fruebantur, & morbo bilioſo aptiſſima; neuter plus „ ſolitâ proportione mercurii & antimonii ſumpſit, uterque variolis „ mitiſſimis corripitur; unus vix viginti tulit puſtulas. Ab hoc tempore „ medici uſi ſunt inſitione cum ſolito ſucceſſu ut antea, febre iſta fla„ va tunc tempore ſæviente.

„ Nulla ætas terreat ab inſitione. Senes & infantes æque ido„ nei ſunt huic operationi, tuto etiam adhiberi poteſt in parvulis „ dentientibus. Novi puerum vix natum plus viginti octo diebus, qui „ tantum unam puſtulam diſtinctiſſimamque exhibuit; & alium quatuor„ decim dierum, qui vix octo puſtulis laboravit." Audivi ex medico in America, ſe feciſſe hanc operationem in icterico, ex obſtructione jecoris vetuſtiſſima, ad quam referandam in caſſum dederat varia aperientia; eique præſcripſiſſe corticem peruvianum cum antimonio & mercurio, putridi habitus cauſâ, ægrotumque vix viginti puſtulas accepiſſe; deinde penitus ab ictero & jecoris obſtructione liberatum fuiſſe.

Utilitas antimonii, mercurio juncti, non ſolum conſiſtit in virtute minuendi materiem morboſam, ſed etiam quod determinet mercurium ad ſuperficiem, quoniam perſpirationique favet, efficiatque, ut vis mercurii maxime crescat; impedit quoque, ne major alvi evacuatio a tanta mercurii copia veniat.

Magna

* Benjamin Rush

Magna utilitate eſt aëris ventilatio, reſpiratione enim ſemper attrahitur, ergo particulis nocivis onuſtus, corpori infert incommodum. Experientia confirmatur aëra noxium vel nimis calidum, multum nocere etiam validiſſimo corpori; quid ergo non continget iis, qui morbo, præſertim febre, laborant? ut teſtatur immortalis SYDENHAM hujus regiminis auctor.

Peritiſſimus HUXHAM obſervat, febrem varioloſam aliquando videri maxime phlegmonicam, hinc ei opus eſſe regimine antiphlogiſtico, & evacuatione. Sæpe etiam maxime nervoſa fit & cardiacis eget. In diverſis tamen corporibus febris diverſa ſe præbet, puſtulatque ſæpe methodum contrariam; indicatio vero ante febris ingreſſum in omnibus eadem eſt. Quum febris cenſenda ſit naturæ conatus ad expellendum virus, qui conatus, ſi nimius videtur, cohibendus eſt congrua evacuatione & regimine, ſin vero languidior, eget cardiacis. A tempore autem ſuſcepti contagii, usque ad acceſſum febris indicationes eædem ſunt in omni habitu, nempe generationi nimiæ virus reſiſtendum eſt; nam *pro quantitate materiei expellendæ, febris fortior, vel debilior evadit*; & pro varia quantitate natura quoque varie ſe expedit; unde apparet, febrem minori vi pollere pro quantitate minore, naturamque eo minus debilitari, quum corpus ſit aptius expellendo virus ad extrema.

Conſtat hanc methodum eſſe non ſolum magnæ utilitati in inſitione; ſed etiam *in infectione ultro capta. Vidi circiter duodecim homines, qui morbum ſuſceperunt ſponte ſub eodem regimine*, omnesque æquo ſucceſſu, ac in inſitione. Obſervatum quoque velim, omnes, a quibus contaminati erant, magna malignitate laboraſſe, & morbo periſſe; perſuaſum ergo habeo, ſi conſtet infectionem ultro ſuſceptam fuiſſe, hac methodo & cura obſervatis ab illo tempore ad febris ingreſſum, eventum non minus bonum ſperandum eſſe.

Denique mihi videtur nullum eſſe ſtatum corporis, nullam ætatem, cui hæc methodus non conveniat, pollet enim maxime vi minuendi virus, in totum, vel ſaltem pro parte. Non dubito quoque quin cortex Peruvianus in quavis debilitate, vel diſpoſitione ad putredinem apparente, magnæ utilitatis ſit, quum corroborans antiſepticus & minime ſtimulans obſervetur.

Inuti-

Insufficientia regiminis antiphlogistici sine mercurio & antimonio.

Nonnullis videtur dubium esse num mercurius & antimonium aliquid boni, in hoc morbo præstent, nam omnia iis judicibus pendere ab antiphlogistico regimine. Licet in quibusdam casibus, si inclinatio ad incrementum materiæ morbi prævaleat, usus regiminis antiphlogistici, per aliqnot tempus ante insitionem, etiam ex mea sententia possit esse magnæ utilitati absque mercurio & antimonio: plerumque tamen res aliter se habet. Certus quoque sum, quod etiam, quo citius mutatio possit effici in corpore, eo melius sit. Exempli gratia, in febri intermittente uncia corticis Peruviani, quovis intervallo adhibita, paroxysmo subsequenti obstabit, eadem vero quantitas divisa, propinata in octo intervallis, effectum hunc non producet. Nunquam opus erit aliquo uti medicamento ante noctem insitioni præcedentem, & traditum regimen, ab insitione facta, ad febrem usque, sufficiet ad præveniendum incrementum materiæ morbidæ. Regimen autem antiphlogisticum absque illa methodo, non valebit mutare corpus, quantum opus erit. Constat enim mercurium & antimonium carere effectu absque antiphlogistico regimine, & antiphlogisticum regimen, non adeo efficax fore absque illis. Cum enim variolæ sævierunt in *Maryland* anno domini 1765. tanta vi, ut dimidia pars rapta esset morbo spontaneo; quidam medici prorsus ignari usus mercurii & antimonii, periculum fecerunt insitionis, & ex triginta, vel quadraginta, vix unus periit, plerique vero sanatorum multis cicatricibus notati sunt; dum omnes, qui utebantur hac methodo, nec domi manere cogebantur, & incolumes evasere.

Quum etiam mercurio & antimonio præparatio absoluta fuit, vis morbifica tamen potuit multoties augeri usu liquoris calidi & spirituosi tempore febris. Vidi ipse tres variolosos, pustulis ejectis perpaucis, febreque peracta, captos nova febri, post quam centum pustulæ novæ erupuerunt, quum antea vix quinquaginta habuere; quoniam adsumserant liquores calidos & spirituosos, causa fuit, quod alter, paullulum spiritus sacharini (vulgo Rum) aqua mixti, & pomum liquori paucis diebus injectum manducaverat; alter vero aliquantulum ejusdem liquoris adusti deglutiverat. Alium vidi cui pustulæ benigniores videbantur, observansque se habiturum perpaucas, sciensque numerum augendum fore sedendo ad focum, voluit faciem cicatricibus deturpatam habere, quod efficit perseverando in calore, inde etiam correptus est febri, qua multa millia macularum ejecta sunt; exeundo vero foras, nihilque capiendo liquoris fortis, multæ evanuerunt, & plurimæ numquam suppuravere.

Ex relatione Kirkpatrick p. 125. ad 127. patet, insitionem in Europa & in America communi methodo vix unum ex quinquaginta, & ex D. Tennent. in diss. p. 39. hac methodo tantum unum ex 436. & a calculo quem ipse in *Maryland* vidi, ni fallat memoria, unus tantum ex 800. periisse. Circiter 300. vidi, quibus insitio facta est, qui omnes impune evaserunt: Hinc merito processus, qui in America viget, plus quam duodecies alteri præstantior est, ut nihil dicam de insitionis omni tempestati & ætati convenientia; quæ olim nunquam nisi urgente necessitate facta est. Idem Kirkpatrick narrat p. 133. quod in comitatu *Hamptoniæ*, *Sussexiæ*, & *Surriæ* in Anglia, ex duobus millibus insitionem passis duo tantum periissent. Summe reverendus Episcopus Vigorniensis in concione vix tres ex mille & quinginta, & Ranby Chirurgus, ex mille nullum succubuisse, testantur. Quum tamen nihil dicant de methodo, non concludendum erit, eam esse absque mercurio, (licet ex omnibus aliis pateat totum calculum esse in ratione, *unius ad quinquaginta*) ex mea quidem sententia mercurio utebantur, ni tempus multo faverit operationis successui. Medicus Baker in examine diversarum rationum hujusce praxis observat, hanc methodum in *Surrey* & quibusdam Angliæ comitatibus notam, & majori utilitate probatam esse, vulgari methodo; & Celeberrimus Glass. anno 1767. respondens ad quæstiones Bakeri enumerat novem millia, qui hanc praxin incolumes subierunt. Methodum omnimodo secretam habent, videtur tamen constare præparatione mercurii & antimonii per diversos ptyalismos subsequtos, atque ex eorum relationibus, fuisse in usum circiter abhinc decem annos. Quum autem Kirkpatrick scribit de iisdem locis, minime dubitandum est, exempla ægrotorum, ab illo allata sub regimine Bakeri & Glass. haud dissimilia esse illis, quæ ego attuli.

Quæ-

Quærit Baker an sit mercurio & antimonio vis specialis, quæ in regimine refrigerante non sit? respondet Dr. Glass experientia constare, ea remedia tali virtute prorsus carere; mercuriumque, quo ipse utitur in tali præparatione, cum regimine antiphlogistico ante insitionem, minime valere tantum, quantum methodus, quâ utuntur medici medentes *Surriani* &c. Cujus successus ille multa ingenuâ argumentatione unice adscribit medicamento, quo insitione peractâ utuntur, quod arbitratur præparationem antimonii, cujus effectus maxime constat ex vi sudorifica, qua febris subsequens mitigatur, conf. Glass. p. 60. Utilitas dirigendi mercurium ad superficiem maxima est. Mihi quoque videtur mercurium sine antimonio, multo minorem habere vim mitigandi malignitatem variolosam, quod expertus sum in iis, quos massa pilularis nunquam sensibiliter afficiebat, nisi sudore, & pulvis purgans bis vel ter tantum movebat, qui variolas minori numero, vel mitioris generis acceperunt, licet ptyalismo aptiores essent. Utilitas administrandi mercurium, eumque dirigendi ad cutem, nunc confirmatur multis experimentis; nec desunt exempla perfectæ curationis ope antimonii additi in morbo pertinaci, cui salivatio mercurialis non sufficiebat. Pilula ista neque ventriculum movet, neque alvum purgat, nisi prima vice, idque rarius. Si vero sumitur hora somni perspirationem benignam noctu intendit.

Dr. Glass. p. 73. porro quærit, utrum antimonium, adhibitum in febri præcedente variolas spontaneas, producat eundem effectum. Ego vero credo habere optimos effectus, & sæpe eruptionem distinctis pustulis efficere, non tamen semper variolis adimere omne periculum; & mercurium cum antimonio, quibus regimen antiphlogisticum adjungitur, absolute necessarium esse post insectionem captam, vel saltem sexto, aut septimo die ante febrem. Nullum medicamentum mihi videtur efficacius ad cohibendam vim variolosam, tam brevi tempore. Plerumque vidi antimonium adhibere in insectione spontanea durante febre, quod optimæ utilitati fuit, producendo plerumque pustulas distinctas, licet ægroti aliquando morbo pereant. Jam monui antimonium cum novo aëre, & usu acidularum, etiam post eruptionem, confluentes, si tempestive adhibeantur, reddere distinctas.

Hæc

Hæc quoque utilitas addenda est successui magno hujus methodi, quod variolis ingressis in domum, si desit tempus præparandi per regimen antiphlogisticum, & opus erit insitione immediata, ne infectio ultro superveniat, hac ratione non sit, cur quis timeat, brachium quovis tempore insitioni porrigere.

An apostemata rariora sint ab insitione, quam ab infectione spontanea?

Quæstio agitur inter medicos, num corpora, in quibus insitio facta est, apostematibus magis obnoxia sint, quam illa, quæ infectionem sponte capiunt. Mihi vero hæc quæstio nullius momenti esse videtur. Manifestum quippe est, paucitatem pustularum minorem præbere quantitatem materiæ absorbendæ, consequenter eadem ratione sanguinem infici. Prior opinio aliis probabilior videtur, quod plerumque fiat, ut ii, qui passi sunt insitionem, frequentius apostematibus afficiantur, quam qui sponte morbum susceperunt. Operæ autem pretium est inquirere, num veritate nitatur, sin aliter, corruet. Sæpius enim fit, ut, qui variolis corripiuntur ab insitione, suppuratis pustulis, sanguinem, nimio calore utendo, vel quovis alio modo, corrumpant, laute scilicet vivendo; ii vero, qui sponte suscepere contagium, nequeunt prodire foras, vescuntur victu idoneo & modico, & maximam curam valetudinis restituendæ agunt. Ab his enim circumstantiis, ad quas maxime attendendum est, problematis solutio omnino pendet.

Quæ quidem pauca in præsentia de hoc argumento disputasse sufficiant. L. B. præcipites nostros labores æqui bonique consulat, rogo, obsecro.

F I N I S.